

verbal. 4 c. 2. Non omnes peccant, in non recipiendo fidem Christi: multi enim ignorant irrevincibiliter Christi fidem, & hi excusantur a peccato. D. Balduin.

2. Quomodo Deus sanguinem hominis λύτρου acceptare potuerit, cum sanguinem humanum alias effundere prohibeat?

Resp. 1. Satius esset, hoc consilium Dei cum gratiarum actione mirari, quam curiosè scrutari. 2. simpliciter credendum est sacræ scripturæ dictis, satisfactionem Christi adstruentibus, Rom. 3, 25. c. 5, 9. i. Joh. 1, 8. Ebr. 9, 14. 22. ut in quæstionibus fuerunt vindicata. 3. Scrutatio hæc Abailardum fecit hereticum, cui D. Bernhardus sic respondet: ratio facti est dignatio facientis, ipsum interrogat; mihi scire licet, quod ita; cur ita, non licet. 4. In hoc apparuit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli, i. Joh. 3, 5. 8. 5. Quod alias in scriptura sanguinis effusio prohibetur, concernit eam effusionem, quæ sine voluntate & jussu Dei fit. D. Bald.

O Altitudinem &c. Rom. II.

IN LOCO DE ECCLESIA.

THEOREMATA.

1. **E**tymon est, quod vocabulū Ecclesiæ sit origine Græcū, ab ἐκκλησίᾳ, id est, evocare, quomodo apud Athenienses cœtus voce præconis ad Senatus sententiam audiendam evocabatur, unde ἐκκλησία est idem quod Evocatio, ac proinde significatum separationem, vi particulæ ἐκ, ratione termini à quo, qui est regnum Diaboli, tum collectionem seu congregationem, vi verbi καλεῖν, ratione termini ad quem, qui est regnum Christi.

2. Homonymia est, quod accipiatur i. in genere pro cœtu hominum, quavis de causa collectio, Act. 19, 32. 2. In specie, pro cœtu hominum, religionis nomine coacto, Matth. 16, 18. sive falsæ, unde est Ecclesia malignantium; sive veræ, quæ est Ecclesia Domini. 3. Metonymice notet templum, in quo celebrantur conventus sacri Devt. 24, 12. i. Cor. 11, 18. 4. Synecdochicè sumitur pro cœtu, qui sanctos & hypocritas simul comprehendit, Eph. 1, 22. vel pro parte cœtus; sive illi presbyteri, ut Matth. 18. v. 17 sive auditores fuerint, ut Act. 5. v. 11.

3. Synonymia est, quod Hebræis dicatur Εκκλησίᾳ congregatio, &

אָגָרְגָּן